

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Antichristus d
cum fonte primo

Porro cum mille pro ipsa uniuersitate
aliquando ponitur, quale est illud

quod in Psalmo legitur: Memor fuit in seculum

uerbi quod mandauit in mille generationes,
id est in omnes.

Ibidem (Augustinus XX. de ciuitate Dei) capitulo
VII.

Porro si centum ipsa pro uniuersitate
aliquando ponuntur, quale illud est,
quod Dominus omnia sua dimittenti et eum
sequenti promisit dicens: *Accipiet in hoc saeculo
centuplum*, quod exponens quodam modo
apostolus ait: *Quasi nihil habentes,
et omnia possidentes*; quia et ante iam dictum erat:
Fidelis hominis totus mundus diuitiarum est:
quanto magis mille pro uniuersitate ponuntur,
ubi est soliditas ipsius denariae quadraturae?
Vnde nec illud melius intellegitur,
quod in psalmo legitur: *Memor fuit in saeculum
testamenti sui*
uerbi, quod mandauit in mille generationes
(Psa. 104:8), id est in omnes.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate Dei*, 20.7
(CCSL 48, B. Dombart ed., p.710, ll.70-80).